Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput XIII.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

flammabat. Itaque furore Bontij, consilij inopes & cæcitati irâ in omnes se effusare partes. Cum nihil eis ex sententia succederet, ultima experturi. Jam ipsi cum Francisco sæpe congressi, è certamine victi discesserant, ut cum illo disserere non auderent: jam absentis nomen falsis criminibus nequicquam obtriverant: jam frustra cælestes iras populo denunciaverant. Judicia suam in animis civium authoritatem exolevisse cernentes, subito irâ in rabiem versa insanire ac furere coeperunt. Ac primò Mauricium probris ac maledictis onerare, putidum canem, egentissimum omniū mortalium, humanorum cadaverum voratorē, per ludibrium appellantes. Deinde in ipsū comitésq; eius jactare minas, pericula intendere, nisi incepto desisterent. Insuperq; illorum ira rabiésque eò demum erupit, ut consilia agitarent Francisci Lusitanorumque, per tumultū ex composito excitatum, in foro interficiendi. Nec fallebant hæc Franciscum Lusitanósque. Sed ille maximum Dei donum ducebat, quod hostes minabantur; id modo cavens, ne improvidè præcipiter ad iras animos irritaret. hi verò Regis præsidio tecti, inanes veranorum hominum minas & irrisus contemnebant. Ergo Bontij posteaquam vis non procedit, aliò consilia vertunt.

Bontium doctissimum, certamine coram Rege inito, vincit

Caput XIII.

Bontius erat Finarondonus nomine unus inter omnes doctrinæ famâ maximè inclytus: quippe XXX ipsos annos in celeberrimo Saponiæ Gymnasio

interiores

interiores & reconditas ipsorum literas domuerat. Is
coenobiorum præerat Bonziorum, ab eo loco millia
passuum ferme XL. Hunc igitur Bungenses Bonzij
ad certamen cum Francisco ineundum haud sanè
ægrè perpulerunt, ratum sibi pulchrum fore, si
(quod proclive videbatur) coram Rege vicisset
peregrinum Sacerdotem, a quo cæteros Bonzios vi-
ctos esse constaret. Confestim igitur sex septémve
doctissimis viris comitantibus, in urbem regiam
advolat. Peropportunè eo ipso tempore Xaverius
Lusitanique Regem adierant, ut eum valere ju-
berent, postero die vela facturi. Dum grates
pro se quisque agentes commeatum petunt,
repentè nuntiatur regi, Ficarondonum adesse
cum lecta Bonziorum manu. Haud sanè lætus
(: quod ex vultu notari poterat :) is nuncius
Regi fuit, verito ne Franciscus ipsaq; veritas
doctrinæ abundantiâ obruerentur. Ergo ut Regem
consilij ambiguum vidit Xaverius, curare (boni
tale fretus, orare instituit, ut Ficarondonum illu-
columen Bonziæ nationis, introduci juberet; se
his fidens, ut magna sit vis doctrinæ, majorem
tamen esse veritatis. Itaque tandem annuen-
te Rege, intromittitur Bonzius. Qui post usitata
venerationis officia, roganti Regi, quorsum veni-
ret, respondit, nempe (ut Sacerdotem ex alio orbe
peregrinum viseret, exploraturus, quid tandem ho-
minis foret, quidve afferret novi ex novo orbe
terrarum. Erat tanta confidentiâ arrogantiáq; Bonzij super-bia
instructus, ut facilè cum superbissimi dæmonis
ministrum esse sentires. Mox defixo in Xaverium,
à quo comiter salutabatur, oculorum obtutu, per-
functóriéque salutationis officijs (: hoc in Bonzij
admodum sunt liberales :) supercilio pluquam
Bonziano sciscitatur ex eo, an ipsum norit; negato
illo

Bonziorum deliramenta Pythagorica de migratione animarum.

illo, quippe qui nunquam antea eum vidiſſet:
conversus ad comites, Apparet, inquit, nihil no-
bis negotij futurum cum isto, qui Fiaxondonū
de facie non novit. Dein Franciscum intuens,
Tenesne memoriâ, inquit, quas mihi merces
Fiuoramae vendideris? negabat ille habere se
quod responderet de eo, quod penitus non
intelligeret: neque enim se unquam mercium
institorem fuiſſe, nec Fiuoramam vidiſſe, nec
antea cum eo locutum; proinde qui conve-
nire, ut ei Fiuoramae vendiderit merces? Bon-
zius liquidò affirmabat, planè id factum eſſe:
illumque, nisi obliviosus eſſet, utique memi-
niſſe oportere. Quocirca rogavit eum Xaverius,
ut quoniam se memoria deficeret, ipse sugge-
reret. Tum verò ille satis fidenter ac vultu
incitam superbiam praeferens, Redi mecum
in memoriam, inquit, millesimus et quingen-
tesimus annus est, cum tu mihi centum mer-
co rudis serici saccos Fiuoramae vendidisti:
quibus ego distrahendis lucri plurimum feci.
Hic Xaverius severè pariter et comiter eum
intuens, sciscitari, quot annos eſſet natus: cum-
que ille unum et quinquaginta respondiſſet, urgere
Franciscus institit, qui tandem abhinc millesi-
mo et quingentesimo anno mercator eſſe
potuerit, qui ante alterum et quinquagesimū
annum genitus non eſſet? nisi forte tum, cum
mercaturam exerceret, natus non erat. Jam ve- "
constare inter nos audio, inquit Xaverius, Japo- "
niam regionem sexcentesimo ab hinc anno in- "
coli coeptam: qui igitur convenit, ut ante mil- "
le et quingentos annos Fiuoramae, quae illis tem- "
poribus

" poribus mea solitudo erat, exornoris mensa
" tuam? At vide, inquit Bontig, quanto notiora
" sint nobis præterita, quam nobis præsentia. Scito
" igitur (quoniam adhuc nescis) nullum mundi
" humanique generis principium fuisse, nullum
" item exitum fore. Itaque hominum ani
" mi, quippe immortales, in alia ex aliis dein
" ceps migrant corpora tum marium, tum foemi
" narum pro Luna cum Sole astrorumque con
" junctione, quæ tenera corporum membra fin
" git formatque. Proinde mentes, quæ valent
" memoria (cujusmodi mea est) facile remi
" niscuntur omnia, quæcunque in vita gesserint,
" cum alia corpora animarent: obliviosæ au
" tem, qualem apparet esse tuam. Haud sane
difficile fuit Hanerio, Philosophorum Theolo
gorumque disciplinis exculto, ipsa Pythago
ræorum Platonicorumque somnia firmis re
fellere argumentis. Omnium igitur primum osten — Pythagorica commenta redarguit.
dit, mundum æternum non esse, sed a certo tem
pore conditum: quippe cum nec per se ipsum
extiterit, nec conditori æqualis & coævus esse po
tuerit. Conditum autem & hominibus cæterisque
animantibus instructum, ab omnium rerum pa
rente & Auctore Deo. Idem pluribus ostendisset
proclive ei fuit ostendere, animos quoque homini
principium habere: nec ante corpora, quorum
formæ sint, extitisse: sed corporibus a Deo in
generatos, ministerio sensuum corporumque uti
ad capessendas disciplinas. Quem enim adeo
cæcum esse, quin videat animus nec volutus
cum tanti boni jactura damnoque non ac mor
talia

talia corpora subituros, & invitos in custodias cor-
porum aerumnarumque societatem se daturos. Quid
quod ratio ipsa convincat, apud aequissimum ho-
minum Judicem Deum pro meritis aeterna vel
praemia vel supplicia mortalibus vita fun-
ctis constituta? utique cum ea vivis non per-
solvi satis appareat. Haec Franciscus eviden-
tibus rationibus, appositis similitudinibus et
exemplis cum illustrasset: Rex quidem ac
Proceres illi assentiebantur, illa plane vera cer-
taque esse, secundisque acclamationibus declu-
rantes. At Bonzius, etsi omnino judicio con-
victus, tamen ob insitam animo superbiam perti-
naciamque repugnabat; ne, suo quoque judicio
convictus, victoriam adversario cedere videretur.
Deserta itaque mundi animorumque causa, a-
criter invehi in Xaverium coepit, qui praepo-
sterum libidinem, tanquam nefarium flagitium,
acerrime accusaret. Satis quippe constare
inter omnes, licere illam Japonum legibus, quae
tamen homicidia, adulteria, furta gravissime
vindicent. Ad quae Xaverius, cum planum fecis-
set, nefarium illud luxuriae genus, naturae, ratio-
ni, propagationi sobolis, bonis moribus vel
maxime adversari, respondit minime miran-
dam esse, legum Japonicarum latores, hoc ipso
vitio obcaecatos, eius foeditatem non vidisse;
aut si viderint, lege non vetuisse in aliis li-
centiam, quam sibi vellent esse communem.
Caeterum, ut nulla Japonum lex illud vetet, certe natu-
rae legem, in animis hominum impressam, ipsamque
rationem si nisi malo usu depravata sit, plane
notare

uetare. Maximo argumento eſſe; quod in talibus maximè flagitijs tenebræ ac receſſus quæruntur, arbitrique omnes summa ope fugiantur, et simul quod maximè promptum ſit in probris, si quid tale obijci poſſit. Jam Titarondonis pertinacia omnium judicio conuicta cedebat ueritati: ille tamen, quoniam rationes eum defecerant, Bontij procax pertinacia infestis clamoribus proteruius etiam quam peruicacius decertabat. Mouit arrogantiſſimi hominis violentia Regem pariter Satrapasque. Itaque uniuersi declamare cœperunt, si bellandi causa uenisset, in Amangucianum Regnum facesseret, quod tum foret in armis: ibi prælij copiam illi non defuturam, nam ipsis pacem & otium eſſe cordi. Quod si disputandi gratia venisset; abstineret iracundia pertinaciaque: imitaretur peregrinum Sacerdotem, quo cum disputaret: eius utique moderationem modestiamque in disserendo, ipsi exemplo eſſe debere. Tum uero Bontius, ut præceps ingenio in iram erat, proruit intemperantia linguæ in maledicta Procerum Regisque, furere debacharique cœpit. Ergo Rex auersus ira, confestim exturbari hominem Regia jubet, sanctè adjurans, nisi sacerdotij reuerentia obstaret, ceruices eius frangi fuiſſe juſſurum.

Franciscii constantia in consternatione Bontiorum.

Caput XIV.

Hac tam insigni ignominia Bontiorum nomini (: ut ipsi interpretabantur :) inuſta, seditionem eorum maturauit. Itaque ex composito omnium fanorum ualuæ in urbe regia clausæ; populus

Proceresque